



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniæ Agrippinæ, 1653

4. Fundamentum in solido locatum roboratur, aquâ, vento, tempestatibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

ARTICULUS IV.

Fundamentum in solido locatum, roboratur, aquâ, vento, tempestatibus.

HAUD secus Fides, quâ Fundamentum, solidatur magis magisque ærumnis & calamitatibus. Id insinuat Paulus Apostolus, secundæ ad Thessalonicenses I. Cap. *Gratias, inquit, agere debemus semper DEO pro vobis, fratres, ita, ut dignum est, quoniam supercrevit fides vestra.* Quod exponens S. Chrysostomus. Tunc ait, *Fides augetur & crescit, cum rebus adversis molestisq; tentatur. Quando venti irruunt, irruunt imbres, vndique attollitur gravis tempestatas, crebrisq; densi sunt fluctus, sed nos non labimur, nec vacillamus, nullius alterius est iudicium, quàm quod creverit, & super creverit, aliisque facta sit fides nostra.* Adverte autem, Paulum non dixisse, quod crescat, sed supercrescat fides: id est, maximum sumpsit incrementum. Græcè est ὑπερᾶνῆσεν, hoc est, valde, & supra modum auge scit fides vestra.

ARTICVLVS V.

Fundamentum immutabile.

QUAMVIS parietes, fenestræ, tectum aliæque partes in unâ aliqua domo mutari possint, Fundamentum tamen manet immutabile, & incorruptum: nam si nutet aut mutetur, domus collabascit. Haud secus Fides, quia Fundamentum, persistit omninò immutabilis; quamvis mutentur religionis, pro temporum diversitate, leges, ceremoniæ, ritus, iudicia, & quæ apud Theologos, salva religionis substantia, sunt contro-

ver-